



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. Politia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Aspectu toruo omnes sunt, omnes comam nutriunt ad terrorem. Nemo se putat ignobilem licet subulcus aut pastor, & verò in familiis officia distribuuntur sorte. Bellatores optimi, & laboris patientissimi. Reliqui indigenæ ab his moribus non multum absunt, aut suæ Gentis mores retinere. Apud omnes puellæ ad nuptias rapiuntur, sed repudiantur facile: ritum Græcum sequuntur Valachi degentes in montibus, aut per totam Transylvaniam sparsi, reliqui aut Catholici, aut Calvinistæ, vel Lutherani.

N V M. 4. *Politia.*

DIU paruit Regibus Hungariæ, qui hanc per Vaiuodam administrabāt delectum à Ciculis, Saxonibus, & Valachis. Sed tandem iugum excussit Io. Zapolia, qui varias expertus vi-ces ad Solymanum confugit; post mortem eius filij, electus est Stephanus Batorius vir fortissimus; exinde variæ turbæ exarsere, quas Turca, & Austriacus fouere. Nostrâ atate Betleem Gabor celeberrimus extitit, cui Ragoskius successit, in Germanicis bellis celebres.

CICVLI verò ex quo in Transylvaniam transiere omnino im-munes secundum leges suas vixere. Sed sub Io. Sigismundo filio Zapolia, amisere libertatem, præterquam in sede *Orbay* ob rebellionem. Sub Mose Ciculo iugum excutere conati sunt, sed grauius ferre compulsi, eisque decimæ impositæ sunt, quæ tandem sublatae sunt quando Gabriel Betleem Gabor, ex priuato factus est Princeps.

§. 12. *De Hungaria.*

N V M. 1. *Origo Hungarorum.*

HÆC multis fabellis implicata est. Narrat Iornandes Gothus Alirumnam quandam mulierem Scythicam humanâ specie ma-iorem, eiectam ex castris Gothorum quod parum pudicè viueret, Mæotim paludem transiisse, hîcque in syluis à dæmone compres-sam multos edidisse monstruosos partus, ex quibus Hungari pro-gnati. Alij fingunt Faunos & Satyros eorum parentes. Probabi-lius existimant alij, venatores dum feram insequuntur ultra Mæo-

Qq iij